

Io. Iacobi Zimmermanni [...] oratio de praecipuis virtutibus quibus s. theologiae professorem ornatum esse oportet

Autor(en): **Zimmermann, J. Jacob / Cramerus, Rudolphus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 9

PDF erstellt am: **22.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394617>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JO. JACOBI ZIMMERMANNI

S. Theologiae Professoris

ORATIO

DE

PRÆCIPUIS VIRTUTIBUS,

Quibus

S. THEOLOGIAE PROFESSOREM

Ornatum esse oportet.

Dicta

A. D. 10. Septembris MDCXXXVII.

Quum

Professionis Theologicae Munus in Athenæo

Patrio solemniter auspicaretur.

Accessit

brevis Vitæ, Fatorumque

JO. RUDOLPHI CRAMERI,

Antecessoris Clarissimi,

NARRATIO.

Ex Litteris Vener. OSTERWALDII,
Theologi Neocom. b. m. ad Virum Celeberr.
J. B. OTTIUM.

*S*ignificabas Clariss. ZIMMERMANNUM Theologiam Professionem esse adeptum. Ab illo tempore accepi per BOURGETUM nostrum ipsius Orationem inauguralem, cui Vir Venerandus propria manu singularem benevolentiae suae testificationem adscribere voluit. Te vero, mi Frater, rogo, ut ipsi gratias maximas agas meo nomine. Equidem dicere nequeo, quantum gaudii ex Lectione huius Orationis ceperim: Probantur mihi omnia ab initio ad finem; Deumque laudo, quod talem Scholae vestrae praefecerit Doctorem, qui summæ Eruditionis, Veritatis & Pacis amorem conjungat, talemque in munere suo sibi proponat scopum, qualem utinam, quicumque Theologiam tractarunt, ob oculos habuissent. Idem mecum sentiunt Basilienses, imprimis amicus ille meus multorum amorum Clariss. WERENFELSIUS, qui hanc Orationem satis laudare nequit.

Hoc Summorum Theologorum Judicium huc adscribendum esse sum ratus, ut constet ratio, ob quam hanc Orationem, cuius exempla iam longo tempore deficiunt, in Museo Helvetico ab oblivione vindicandam esse statui. J. B.

VIRO

AMPLISSIMO CONSULTISSIMO

LITTERATISSIMO

J.FELIC.NÜSCHELERO

ANTE ALIQUOT MENSES

OB MAXIMA SUA IN REMP. MERITA

PRIMUM AD

TRIBUNITIAM POTESTATEM;

POSTRIDIE VERO

RARISSIMO EXEMPLO

AD

PROCONSULAREM DIGNITATEM

PLAUDENTIBUS

OMNIBUS BONIS ET PATRIÆ AMANTIBUS

EVECTO

MERCATORI FLORENTISSIMO

Pro insigni erga se præstita Benevolentia
nullis meritis provocata
Beneficiisque

Hanc Orationem Inauguralem

In devotæ mentis tesseram, gratique
animi pignus

Sacram esse vult

AUCTOR.



Cogitanti de quo potissimum argumento, Feria hac *Protomartyribus*, sive veris sive fictis, *Felici & Regulæ* sacra, more atque instituto Majorum, solemnī Oratione celebranda, in tanta *Virorum Amplissimorum* atque *Doctissimorum* copia, verba facturū essem, ipsa muneris, quod jam quidem mihi impositum est ratio indicare videbatur, quid mihi agendum esset. Omnes enim, quos huc magno numero confluros firmiter eram persuasus, non solum expectaturos credidi, quid novus ille homo & musteus Theologus dignum tanto gradu esset prolaturus; sed & eosdem ex hac ipsa Oratione experimentum aliquod capturos, utrum Disciplinae sanctissimæ atque nobilissimæ naturam, atque indolem calleret nec ne. Sumus enim omnes ita natura comparati, ut credamus, eos, qui scite de arte vel disciplina differunt, modo velint, ad eam rite tradendam multum conferre posse. Cumque nuper *Amplissimorum & Venerandorum Illustris Gymnasii Procerum* consensu, Deo O. M. cuncta benigne moderante, tradendis sanctioribus Disciplinis admotus essem, & hac ipsa hora *Venerabilis Sacrorum Antistitis* jussu & Auctoritate muneris mei auspicia

ponenda essent, nihil rectius me facere posse existumavi, quam si pro ingenii modulo differerem de iis officiis, quæ præstanda sunt ei, qui gravissimo Theologiæ Professoris munere cum laude defungi velit. Verba igitur, *Auditores Nobilissimi, Amplissimi*, ut sine ambagibus in rem præsentem eam, facturus sum *de præcipuis virtutibus, quibus publicum Theologiæ Professore ornatum esse oportet.* Argumentum profecto nisi omnia me fallant, dignum est, splendido hoc *Amplissimorum & Doctissimorum Virorum Confessu*, non tantum ob virtutum ipsarum, de quibus verba facturus sum nobilitatem, atque singularem præstantiam; sed hoc potissimum nomine, quod *Illustres & Venerandi Gymnasii nostri Præsides*, ex hoc ipso de me, futurisque meis laboribus conjecturam facere possint; dignum est hoc argumentum *persona mea*, quam in posterum dum vixero per Dei gratiam sustenturus sum; dum enim nobilissimarum virtutum mentionem facio, ipsa muneris ratio a me efflagitabit, ut in eas, tanquam in speculum frequentissime inspiciam, atque ex iis exemplum, quid in posterum faciendum sit, sumam. Consentaneum denique est hoc Argumentum *futuris meis Auditoribus* sacri imprimis Ministerii Candidatis; ita enim mature discent, quodnam veri V. D. Ministri, sive Theologi, quod perinde est, officium sit, quibusve virtutibus, siquidem Deo placere velint, ornati esse debeant.

Hoc unum ergo restat, *Auditores O. Ordinum Amplissimi*, atque *Præstantissimi*, ut mihi, stylo plano atque facili, quod Theologum decet, verba facturo, vacivas, nullisque præposteris rumusculis obstru-

obstructas aures præbeatis. Ego saltem operam dabo, ut, quæ in medium prolaturus sum, non possitis non intelligere.

De præcipuis autem virtutibus, quibus Theologiæ Professore ornatum esse oportet, verba facturus, pulchre video, vitandæ omnis confusio- nis causâ, singula, de quibus dicturus sum, in certas classes esse dispescenda. Et mea quidem opinione rectissime ad quinque capita, quæ hic quidem quam maxime commemoranda sunt, re- ferri possunt. Oportet enim Theologum 1.) esse *Eruditum*; 2.) *Veri amantem*. 3.) *Modestum*; 4.) *Pa- cificum*; quinto denique loco *Pium*. Aut nescio ego plane quid Theologi nomine significetur, aut is hoc titulo dignissimus est, qui hisce virtutibus elucet atque floret.

Agite ergo *Auditores* singulas hasce virtutes animo atque adfectu mecum percurrite & perpen- dite, linguisque ac animis, ex veteri formula, favete!

Prima igitur Virtus, quæ quidem inesse debet Theologo, est veri nominis *Eruditio*, quæ solida rerum præstantissimarum, divinarum præsertim, variarumque scientiarum, quæ ad sanctissimas dis- ciplinas rite tractandas requiruntur, cognitione absolvitur; quo imprimis pertinent S. Literas in- terpretandi peritia; non proletaria Philosophiæ re- centioris & Theologiæ Theoretico- Practicæ scien- tia, rerumque in orbe, Ecclesia præsertim, per omnia temporum intervalla gestarum, cognitio. Hisce disciplinis si rite est imbutus Theologus no-

ster, Eruditus merito dici potest. At quoniam multi præposteram Eruditionis Theologicæ opinionem animo habent infixam, paulo clarius, in quo vera illa Theologi Eruditio consistat, dicendum est. Ad eam igitur virtutem non requiritur, ut Theologus noster omnes difficultates, quæ quidem in S. Codice occurrunt, tollere; ut Chronologicos & Genealogicos omnes nodos solvere; ut quicquid Prophetarum Oracula habent obscuri ad digitos referre, & definire; ut omnes ritus & consuetudines Hebræorum, & populorum Orientalium edifferere; ut *τα βιβλιν*, quæ circa originem mali, providentiæ divinæ administrationem reliquaque mysteria occurrunt, explicare; ut omnes distinctiones veterum, & recentiorum Theologorum, quas necessitas, vel superbia, aut denique ignorantia peperit, in numerato habere; aut ut denique omnium dissidentium & stultissimorum qui unquam in terris vixerunt, hominum opiniones enarrare, & singillatim convellere possit. Hæc enim si ad perfectam Eruditi Theologi imaginem absolvendam necessario postularentur, fatendum esset, nullum unquam inter mortales extitisse Eruditum, quod dicere absonum esset, Theologum. Omnis certe, qui sanctissimæ Disciplinæ gnarus est, rerumque divinarum veram atque accuratam habet notitiam, facile deprehendet, partem eorum, quæ narravimus, ita esse comparata, ut nulla acie ingenii cognosci, nullo, ne pertinacissimo quidem, labore & diligentia possint comparari; partem vero inter non necessaria penitus esse referenda. Agnoverunt hoc illi, qui in hisce Literis Principes fuerunt atque in iis consenuerunt. Rectius ergo de Eruditione Theologica sapiendum est.

est. Ad veram igitur, ut perspicue mentem nostram pandamus, Eruditionem, quam in Theologo desideramus, præter Linguarum, Philosophiæ, Theologiæ, Theoreticæ & Practicæ, Antiquitatum denique Ecclesiasticarum cognitionem, requiritur ante omnia, ut *Eruditio* ipsius cum *Sapientia* sit conjuncta. Sine hac divina virtute, quantacunque rerum divinarum & humanarum notitia sit instructus, frustra erit Theologus noster; quadrata rotundis, levia gravissimis, necessaria inutilibus miscebit; sine hac omnis ejus Eruditio similis erit chaoticæ massæ, in qua non bene junctarum discordia semina rerum; sine hac per omnem vitam in supervacuis desudabit, & cum larvis pugnabit; sine hac denique nunquam veræ castæque Religionis studium atque amorem in pectoribus Auditorum suorum accendet, sed Theologastri potius, id est, inepti rerum sanctissimarum & saluberrimarum tractatoris nomen merebitur.

Hæc vero Sapientia, si cum Eruditione, & variarum artium ac disciplinarum cognitione est conjuncta, incredibile quantum confert, ad ingenerandam veram solidamque rerum divinarum notitiam, ad persuadendos etiam pertinaces de gravitate, dignitate atque præstantia muneris Theologici. Consistit autem *erudita* illa *Sapientia* Theologi in eo potissimum, ut veram, solidam & masculam Religionis Christianæ ideam animo habeat infixam; ut singulas ejus partes, quatenus vel naturali consecutionis lege vel volente ita Deo inter se sunt consociatæ, habeat perspectas; ut non tantum cognoscat fontes errorum cœlesti veritati insidiantium, & pietati nocivum

periculum concitantium ; sed & quid ad obstruenda hæc mala eheu ! latius semper serpentina, faciendum sit, rite intelligat. Probe insuper intelligat Eruditus noster Theologus, quid in controversiis, quæ inter diffidentes Christianorum familias agitantur, leve vel grave, momentosum vel inane sit, quidque adeo maxime probandum, inculcandum, convellendum, quid vero silentio transmittendum, aut *ισοπλάς ένεα* enarrandum. Pulchre inprimis calleat Theologus noster, quid tempora quibus vivit, deposcant ; habent enim disciplinæ omnes, sic & opiniones hominum & errores, sua fata : quidam errores absurditate sua sponte corruunt, alii omnium ætatum sunt ; quidam parum nocent Reipublicæ Christianæ ; alii saluti omnium insidias struunt, mentesque Deo sacras a sanctissimis officiis Deo & Soteri nostro Jesu Christo præstandis revocant. Quemadmodum autem ad errorum & temporum fata diligenter animum convertit Theologus noster, sic Auditorum suorum quammaxime rationem habendam esse credit ; non solum enim novit, Adolescentium ingenia varia esse, sed & perspectum habet, quid in hac tenera & lubrica ætate quammaxime sit urgendum. Veri nominis Theologi est, quantum ingenio, laboribus, atque precibus valet, conniti, ut futuri Verbi divini Ministri sciant, & quidem haud perfunctorie, quid ad cælestem illam Jesu Christi Sapientiam edocendam, explicandam, probandam, vindicandam, latiusque proferendam quammaxime necessarium sit ; cumque eum latere non possit, Religionem Christianam totam, quanta quanta est, doctrinam esse veritatis, quæ secundum pietatem est ; eam in affectibus potius sitam quam

quam in Syllogismis, vitam magis quam disputationem, afflatum potius quam Eruditionem, transformationem denique magis quam rationem esse; non minus operam dabit eruditus noster Theologus, ut vera & salutaria Jesu Christi præcepta, sine quibus ne alumni quidem sanctissimæ disciplinæ, nedum ejus Legati esse possumus, Auditoribus suis inculcet, quam vero capita Religionis scitu ad salutem necessaria, idque ad exemplum ipsius sanctissimi nostri Soteris, inter omnes Sapientiæ Doctores & Theologos, qui unquam terris illuxerunt Eruditissimi, atque Prudentissimi: probe insuper gnarus est Theologus noster, Ministris in agro cum superstitione potius, præjudicatis opinionibus, erroribus popularibus saluti animarum nocivis, cum vitiis denique varii generis, quam vero cum speciosis erroribus, quos superbia quorundam Eruditorum male sanorum peperit, perpetuum bellum fore: muniendos igitur esse S. Ministerii Candidatos contra ea potissimum, quæ maxime nocere possunt, edocendosque, qua ratione efficere possint, ut cœlestis sapientia radices in animis Auditorum suorum agat. Denique, ut alia multa, quæ ob angustos temporis limites silentio prætermitti debent omittam, operam dabit Eruditus noster Theologus, ut quicquid explicat atque docet gravissimis argumentis & locis Scripturæ probet, neque tam ad argumentorum multitudinem, quam vero ad eorum pondus attendat; ut facili methodo, clare & perspicue cœlestis Sapientiæ decreta non ex *Scoti*, vel *Thomæ*, aut aliorum Sophorum scriptis petita, sed ex ipsius Revelationis penu deprompta, Christi, atque Apostolorum auctoritate subnixa, propinet. Quod si ita
causam

causam sanctissimæ Religionis agat Theologus noster, quantum per ingenium & imbecillitatem humanam licet, merito eum *Eruditi* atque *Sapientis* Doctoris officio defunctum esse omnes, qui suam rem quamque pretio æstimare sciunt, affirmabunt.

II. Ad hanc autem tantam, tamque præclaram Eruditionem, & Sapientiam Theologus noster pervenire non potest, nisi pertinaci diligentia, Amore cum primis *Veri* acerrimo; igitur *Veri Amantissimum* esse decet Theologum. Cum enim nullæ disciplinæ, eæ præsertim, quæ de rebus maximi momenti agunt, rite cognosci possint sine incredibili studio & diligentia, perinde autem non sit veri cognoscendi cupido, utrum rite atque recte disciplinæ alicujus fundamenta, indolem, atque naturam cognoverit nec ne; necesse est, ut ardentissimo veritatis addiscendæ teneatur desiderio, nihilque eorum reliqui faciat, quæ ad omnes sinus atque angulos disciplinæ rite cognoscendæ pervestigandos facere possunt. Hoc *Studium* autem *Veri* cum necessarium sit in omnibus disciplinis ac artibus rite cognoscendis, nemo non videt Theologum præcipuè divinæ hujus virtutis amore totum tactum & constrictum esse debere. Non enim hic agitur de lana caprina, de rebus nemini profuturis, de felici conjectura aut emendatione loci corrupti, de hypothésibus veterum aut recentiorum Philosophorum spinosis potius quam utilibus; sed agitur de rebus sanctissimis, divinis, & cum æterna hominum salute connexis: Quæritur hic, utrum totum Universum & quicquid in eo admirabile est, casu, an vero divina, sapientissima, atque potentissima causa a mundo
diversa

diversa productum & ad certos fines exornatum sit; Quæritur, providane Dei cura cuncta maxima medioxima regantur; Quæritur, utrum mentes simul cum corpore intereant, an vero morte careant, æternum durent, pænarum & præmiorum capaces futuræ; Quæritur, utrum Revelatio quædam divinitus concessa adsit, & utrum illi certa & infallibilia divinæ originis insint vestigia; Quæritur, utrum libri, qui in manibus Christianorum sunt, quosque dissentientes licet in omnibus fere aliis capitibus Christianorum familiæ pro divinis Oraculis habent, male consutus maleferiatorum hominum cento sit nec ne; Quæritur, quænam posita etiam & concessa libri hujus divina origine vera ad salutem obtinendam via sit; Quæritur, unde factum sit, ut tanta labes genus humanum invaserit, tantaque malorum agmina infestent, quæque curandæ naturæ humanæ posita sint a Deo media; Quæritur, utrum Jesus Christus verus sit Messias, per quem solum spem beatæ immortalitatis consequendæ habere possimus; Quæritur, utrum is non solum sanctissimam disciplinam mortalibus attulerit, miraculis confirmarit, ad eam obsignandam a mortuis fuerit revocatus, sed & utrum morte sua jus vitæ æternæ consequendæ pro nobis fuerit adeptus; Quæritur, quibus virtutibus vir sapiens & disciplinæ sanctissimæ alumnus ornatus esse debeat, quid vitandum, quid vero adpetendum, quænam vera, certa, & infallibilia purgatæ mentis, & veri Christianismi indicia, ut alia multa, quæ scire veri rectique amantium interest, silentio præteream. Num autem, testem cujusque conscientiam esse volo, num inquam perinde est, quicquid de rebus adeo gravibus sentiamus

tiamus nec ne? certe aut dicendum, inter verum & falsum, inter opiniones stultissimas & veritates saluberrimas, inter leve & arduum nullum esse discrimen, quod ne ipsa quidem adseruerit impudentia; aut concedendum, has ipsas propositiones, de quibus sollicitum esse oportet Theologum, scitu, cognituque quammaxime esse necessarias, omniumque, qui vera rerum pretia norunt, attentione dignissimas. Quod si vero hoc est, *Auditores*, de quo neminem vestrum dubitare persuasus sum, manifestum est, hæc omnia a Theologo rite perpendi, nedum aliis recte inculcari non posse, nisi veri cognoscendi acerrimo præditus atque incensus sit studio: Satisfactorius ergo Theologus officio suo S. Literas diurna nocturna que versabit manu, vocabit in auxilium non solum divinæ & cœlestis gratiæ Auctorem Deum, ut mirabilia legis suæ perspicue mentis oculis offerat, tenebrasque præjudicatarum opinionum, φιλαυτίας, superbiæ, & pravorum animi studiorum dispellat; sed & doctissimos omnis ævi Interpretes, quos quidem ad manus habere potest, consulat, & quicquid ex omni parte ad verum Oraculorum divinorum sensum eruendum facere potest, conquistis undique præfidiis colliget. In hoc vero sancto studio ita versabitur *Noster*, ut non potissimum quærat, quid auctoritati suæ, sectæ suæ, hypothesebus & opinionibus suis confirmandis & stabilendis inserviat, sed quid senserint & præceperint Moses & Prophetæ, Christus & Apostoli. Hoc si semel in animum suum induxit, si S. Literarum maxima ducitur reverentia, si id unum sancto quodam studio candide & simpliciter sine fuce atque malo animo, summa vero pietate ac diligentia agit,

agit, dubium non est, quin, quantum in hac rerum caligine, in tanta rerum difficillimarum copia, in tot discrepantibus opinionibus fieri potest, in arcem veri sit penetraturus, atque ab omni periculoso errore liber sit futurus; neque enim credibile est, hominem reverentia singulari Numinis tactum, veri amantissimum, & circumspectum, in rebus maximi momenti a vero rectoque aberraturum esse. Idem *Veri studium* efficiet, ut ad explicanda & probanda S. Religionis capita, omnem diligentiam curamque adhibeat, singula, quæ ad probandam thesin ex S. Literis adferuntur loca sollicitè examinet, ad veras Hermeneuticæ regulas expendat, & qua ratione ad confirmandam sententiam nostram faciant, Auditoribus suis plane, perspicue atque solide ostendat. Inprimis vero operam dabit, ut veritatum in S. Literis traditarum pondus probe expendat, atque ea quæ ipsius Christi & Apostolorum auctoritate cum salute arctissime sunt juncta, quæque adeo rite cognovisse omnium Christianorum interest, accurate distinguat ab iis, quæ sine veræ pietatis detrimento & salutis dispendio ignorari possunt. Atque hæc feraci hoc disputationum Seculo non satis inculcari posse, omnes qui veræ Religionis naturam atque indolem cognitam atque perspectam habent, fatebuntur. Cumque nemini quicquam quod a mente sua alienum est sit tribuendum, atque in hoste etiam sit laudanda virtus, non solum ipse Dissidentium libros diligenter evolvat, eorum argumenta rite ponderabit, & ad S. Literarum normam tanquam Lydium lapidem exiget; sed & ubi illi necessitas est imposita cum veritatis hostibus congregiendi, positus omnibus pravis animi

mi studiis, sententiam eorum non male explicabit, non cum Invisorum hominum decretis conferet, momentum quæstionis non ultra modum exaggerabit, non invidiosa confectaria ex Adversariorum sententia deducet, sed candide atque cordate cum iis aget, atque ubi a vero aberrarunt, non convitiis, sed perspicuis argumentis, demonstrabit. Eum in finem, quantum per imbecillitatem humanam fieri potest, faceffere jubebit præjudicatas opiniones, partium atque sectæ studia, quæ a vero abducunt, pessimique consultores esse solent; *Veritatem, Veritatem* inquam, unam in oculis feret, eam exosculabitur, probe sciens, ad eam rite cognoscendam, tradendam & vindicandam se a Deo per æternas conscientiaæ leges esse obstrictum. Hanc ubicunque, & inter quoscunque deprehendit, amat; in ea deliciatur; hanc *Auditoribus* suis commendat; Ejus admirabilem vim in animis hominum ostendit; ab ea nullis sese ratiunculis, nullis partium studiis abduci patitur. Hujus denique amore totum, quantus quantus est, sese incensum & abreptum esse, in sermonibus, scriptis, universa denique vitæ ratione ostendet.

III. Eruditioni & veritatis amori comitem adjungo *Modestiam*, per quam intelligo eam animi bene compositi æquabilitatem, qua quis de se modice, de aliis benigne sentiens tractanda sibi negotia prudenti moderatione expendit, uti singulorum naturæ, indoli, ac momento consentaneum est. Hæc virtutum cæterarum, quibus homines nobilitari solent, vernix est. Hæc una, cæteris omnibus præsentibus si deficiat, decus omne atque ornamentum ereptum dicas. Sume *Philologum,*

gum, aut *Criticum* literatissimum, *Oratorem* disertissimum, *Philosophum* subtilissimum, sed superbum, inflatum, sibi suffenum, omnesque æquitatis limites excedentem; tantum aberit, ut inter Sapientes laudem Eruditi sit consecuturus, ut potius eum Sapientes ludibrio sint exposituri, atque in Catalogum umbraticorum Doctorum, quos Galli *des pedants* vocant, sint relaturi. Quod si cæteris disciplinis, earumque Doctoribus sola hæc virtus tantam tamque incredibilem adfert gloriam, iisque conciliat optimi cujusque & doctissimi amorem; quid futurum esse credemus, si sanctissimæ disciplinæ Doctor egregia hac dote ornatus est? Singulari vero jure hanc virtutem sibi vindicat excellentissima disciplina Theologia, quoniam inter virtutes Christiano homine dignas non ultimum obtinet locum, atque in Jesu Christo, Theologorum omnium Capite atque Principe splendidissime eluxerat; In genere de ea loquendo ex accurata sui, scientiarumque, si de Eruditione sermo fit, cognitione oritur. Si quis Eruditus est & scientiarum abdita penetravit, quo magis ad ingenii humani imbecillitatem, ad impenetrabilem plerarumque rerum mentibus vel sensibus objectarum naturam, ad dissidentes virorum etiam perspicacissimorum sententias animum convertit, fieri aliter non potest, quin necessitate compulsus incipiat de se suaque Eruditione modice sentire. Quivis pulvisculus, quælibet monas, ut moderni Philosophi loquuntur, ignorantia nostræ testes erunt omni exceptione majores: norunt hoc omnes, qui in disciplinis Philosophicis hospites non sunt. Quod si in cæteris disciplinis, Philosophicis præsertim, in quibus excolendis omnes rationis vires expli-

cant ingenia ad meditationes abstrusissimas veluti natura facta, tanta tamque incredibilis ingenii humani cæcitas naturæque rerum ambigua occurrit cognitio, quid mirum, si in Revelatione, ubi de rebus altissimis atque divinissimis, v. gr. de Consiliis divinis ante omne ævum captis; de Electione inter tot possibiles alios mundi hujus, tot malis obruti; de Creatione omnium rerum ex nihilo; de Providentiæ divinæ in regno Naturæ & Gratia administratione; de propagatione labis in omne genus humanum sese diffundentis; de arcanis in mentes humanas operationibus; de Mysterio S. S. Trinitatis, de conjunctione intima Soteris in carne manifestati cum divina natura, aliisque non minus sublimibus rebus agitur, suam sæpe Theologus fateri debet ignorantiam? ut jam nihil dicam de iis, quæ extrinsecus accedunt in hoc Literarum genere, puta de antiquissimis historiis & ritibus; de singularibus vocibus atque phrasibus Hebræorum; de rebus gestis populorum quibuscum olim negotia Hebræis intercesserant, & ad quas Prophetæ digitum intendere videntur; de scopo, fine, & occasione singularum prophetiarum & hymnorum; de temporibus quibus quæque facta dicuntur &c. Dies certe, & latera me deficerent, *Auditores*, si in patentissimum hunc campum exspatiari, & ample differere vellem, quantæ, non mea, quæ leve apud vos pondus habitura esset, tyrone utpote in sublimi hac scientia, sed doctissimorum Theologorum sententia, in multis divinæ nobilissimæque scientiæ partibus occurrant tenebræ, quamque difficile sit illas post eruditissimorum Virorum omnibus disciplinis excultorum irritos labores, dispellere. Atque hæc ipsa *Modestia*

sua etiam efficit, ut de aliorum opinionibus benigne semper judicet, atque ubi ubi licet, bonas in partes, quæ minus caute atque circumspecte dicta sunt interpretetur Theologus. Quod sibi fieri vult aliis etiam facit; probe cognoscit mentis humanæ imbecillitatem; haud ignorat quam varia sint hominum ingenia; perspectum habet, non convitiis atque probris, sed argumentis perspicuis atque solidis, lenitate imprimis, errores mortalibus eximi; placide modesteque monitos in viam revocari, nobis conciliari, neque ita agendo ullum detrimentum pati Veritatem: nunquam, quod eheu tamen feraci hoc disputationum seculo & quod invitus dico, a Theologis frequentissime fieri solet, ubi de erroribus refutandis agitur, ad intimos animorum recessus provocabit, demonstraturus, errantem nonnisi data opera, & malo animo a vero rectoque deflectere; potius rem ipsam in se, suaque natura spectatam expendet, atque ad rationis atque Revelationis normam examinabit. Cætera Deo cordium scrutatori, & malorum vindici permittet.

Neque circa errores duntaxat hanc sibi legem fixam esse persuasum habet Theologus, sed imprimis hoc sibi impositum esse officium credet, ubi de S. Literarum interpretatione agitur. Hic, hic sane singulari prudentia & modestia opus est. novit Theologus S. L. explicaturus rem sibi non esse cum *Aristophane* aliquo aut *Plauto*, sed Sanctissimo Numine; nunquam igitur adeo sibi præfidens est Theologus noster, ut in explicandis difficillimis locis se unum sapere, rectumque cognoscere putet, sed & alios audiendos, neque dissentientes

temere exagitandos existumabit; temerarias, violentas, atque audaces, Dei præsertim virtutibus molestas conjecturas, atque interpretationes singulari studio evitabit, necque quicquam pravis concedet adfectibus: uti enim vel peritissimus Astronomus (*verba sunt Eruditi & pii Theologi*) optimis tubis instructus nullas instituere observationes potest, ubi aër crassioribus nebulis nubibusque obseptus est, quæ astrorum conspectum intercipiunt: ita etiam Interpres lucidissima illa veritatum cælestium sydera in S. Scripturis minime observabit, nisi animum serenum & tranquillum & a distractionibus turbulentisque affectibus liberum attulerit, quamvis cæterum ingenti Eruditionis apparatu instructus. Ubi de maxime sublimibus Religionis Christianæ mysteriis explicandis agitur, a Scholasticorum distinctionibus nugisque sibi temperabit, potiusque ignorantiam suam fatebitur, quam ut tenebras offundat rebus sanctissimis. *Moderestiam* suam etiam manifestam faciet Theologus in explicandis typis, & Prophetiis, quam nostra & Patrum nostrorum memoria in multis Theologis Reformatis, Belgis præsertim, jure desiderarunt Viri docti. evitanda hæc sunt inprimis seculo nostro, quo longe petitas illas allusiones, atque imaginationis aberrationes non solum ferre non possunt erectiora ingenia, sed & Incredulis, quorum eheu hodie magnus est numerus! sine necessitate Sanctissimis rebus insultandi exhibetur occasio. Inter audaciam ergo atque temeritatem, & inter servile obsequium medius incedet Theologus noster, cum rerum ipsarum sublimitate, tum reverentia erga sacras Literas ductus, atque perpetuo captus: nemini denique sensum, quem ipsemet
 aut

aut industria reperit, aut ab aliis didicit, temere obtrudit, probe gnarus omnibus ex æquo libertatem esse concessam, id quod verum esse putant, arripiendi & amplectendi.

Quantam *divina* hæc *virtus* utilitatem Rebuspublicis, Ecclesiis, Academiis; quantam componendis fratrum diffidentium litibus, & bellis litterariis, nullos triumphos habituris, adferat; quam uberes fructus ferat in animis studiosorum; quam late denique sese diffundat, vix verbis *Auditores*, exprimi potest: temperare mihi non possum, quin Theologi, ut doctissimi, sic modestiæ laude imprimis nobilissimi, H. *Witsii* nempe de hac ipsa Theologi virtute differentis verba adducam. Hic in Oratione inaugurali ad *Lugdunenses* habita, divinæ hujus virtutis amore abreptus in hæc erupit verba. „ Dicit denique (inquit) non potest, „ quantum commodorum in rem Literarum ac „ Religionis publicam illatura Modestia sit. Quid „ animum Deo loquenti docilem & obsequiosum „ præstabit? *Modestia*. Quid eundem a tremendorum Mysteriorum male consulta temeratione „ arcebit ac deterrebit? *Modestia*. Quid sanctissimæ Religionis nostræ dogmata felici in animos illapsu veritatis amantibus persuadabit? „ Tractantium ea Interpretum *Modestia*. Quid „ infaustas lites vel præveniet, vel dirimet? Quid „ inutiles, sed magno sæpe animorum motu agitatae controversias componet? *Modestia*. Quid „ ubi pugnam pro Dei causa detrectare nullo pacto licet, victoriam conciliabit & faciliorem „ & laudabiliorem? Dimicantis *Modestia*. Quid

„ insanum novaturiendi pruritum, quid partium
 „ studia, quid nocentissimarum factionum pestem
 „ e Scholis & Ecclesiis pellet? *Modestia.* Quid
 „ animos manusque in sancta inviolabilis pacis &
 „ amicitiae foedera junget? Eadem *Modestia.* O
 „ sancta & beata *Modestia*, tot averrunca mala-
 „ rum pestium, tantorumque conciliatrix Bono-
 „ rum, quo te terrarum proripis? cur oculis te
 „ nostris subducis tuique tabentes desiderio mi-
 „ fere destituis? Siste gradum, redi propitia, oc-
 „ cupa animos nostros, inque iis placidissimi do-
 „ minatus tui thronum: occupa hanc Academiam,
 „ hanc Cathedram, tuis devotam sacris, cre-
 „ pante invidia, frendente discordia, fremente
 „ ambitione, conculcatisque omnibus Erebi mon-
 „ stris, & exulare jusso, quidquid perpetuae ad-
 „ versatur tranquillitati, tuo nos praesidio, tuis
 „ muneribus aeternum bea. Ita *eximius ille Theo-*
logus: Cujus voto & meum addo.

IV. Cum hac nobilissima Virtute arctissime
 connexum est *Studium Pacis*, seu sincerus animi
 adfectus, veritatem animo tranquillo sine alterius
 laesione & insectatione docendi, & tuendi; erran-
 tem lenissime tractandi; eum in viam, argumen-
 tis sincerum amorem spirantibus, revocandi; er-
 roribus, quos parum cavet natura humana, qui-
 que vel ex connata mortalibus ingenii imbecilli-
 tate, vel obscura rerum credendarum repraesentatione oriuntur, neque spem beatæ immortalita-
 tis intervertunt, ignoscendi. Studium certe ut
 Christiano homine omni, sic Theologo cumpri-
 mis dignissimum, quodque mirificum ei decus at-
 que Ornamentum adfert. *Hoc ipsum autem la-*
 tius

tius adhuc patet, quam Modestia. Hæc enim in circumspecto, prudentique sui actionumque suarum examine, & benigno de aliorum Institutis judicio, potissimum consistit. Illud vero sincerum, ardens & perpetuum desiderium, animos hominum sibi conciliandi, errantes revocandi, opiniones, quantum veritatis natura atque indoles patitur, benigne interpretandi, atque cum iis, quos neque Christus, neque Apostoli communione veræ Ecclesiæ excludendos esse injunxerunt, in arctissimam Societatem cœundi, involvit. Virtus certe, sive Rempublicam, sive Ecclesiam consideres, sive ad præcepta & exempla Jesu Christi & Apostolorum attendas, sive denique ad incredibilem vim, quam habet in animos hominum respicias, Theologo dignissima. Principium, quo innititur pulcherrima hæc virtus, est amor proximi, divinis & humanis legibus nobis injunctus. Proximus est omnis homo cuicumque tandem opinioni & sectæ addictus sit: non enim desinit errans esse homo, neque adeo solutus est Theologus unquam generali illo & omnibus mortalibus injuncto amoris officio. Quanquam enim plurimum intersit, quibus quisque rationibus ad opinionem aliquam tuendam inductus sit, atque inter graviter errantes, & cespitantes duntaxat in rebus minoris momenti, magnum sit discrimen; certum tamen est, nil magis ad qualitercunque errantes lucrandos conducere posse, pacifica & amicabili tractandi ratione. Non quæritur, utrum erroribus ipsis albus sit adjiciendus calculus, aut utrum sit asserendum, perinde esse quamcunque opinionem in rebus ad Religionem spectantibus amplectamur, quod nemo sanæ mentis dixerit; sed utrum ani-

mus salutis aliorum cupidus, modestus & pacificus non plus efficiat ad errantem in viam reducendum, nobisque & Deo conciliandum, quam vero præposterum quoddam, morosum & superbum errantibus insultandi studium, studium errores in majus extollendi, ex qualibet, ut habet proverbium, musca Elephantem faciendi, verbo quicquid argumenta ab invidia petita suggerunt, pleno horreo in eum conjicendi. Atque hoc non solum verum esse quilibet, qui quid amor proximi deponat, perspectum habet, quæque errantium & errorum natura sit cognoscit, facile concesserit; sed & hoc ipsum pacis studium a Christo & Apostolis fuit injunctum, ipsoque opere variis rationibus & occasionibus demonstratum. Sanctissimus noster Soter & Apostoli, ad quod probe attendendum est, ipsos animorum recessus habebant perspectos, quidque homines impediatur, quominus cælesti disciplinæ nomen darent, accuratissime sciebant, quibus donis homines cæteri, ipsi etiam, quod nemo negat, Theologi destituti sunt; hoc tamen non obstante divinam illam virtutem non solum commendarunt, sed & Exemplo suo confirmarunt. Quis nescit discipulos Jesu Christi perpetuos licet admirabilis doctrinæ Auditores, multis iisque gravibus fuisse erroribus obnoxios? Eos tamen propterea non odio habuit, nedum insectatus est divinus Doctor, sed instar benigni Parentis castigavit, erroresque sensim sensimque animis eorum exemit, atque dum majore luce superfunderentur, expectavit. Idem benignissimus noster Soter & infallibilis Doctor, non solum pacificos beatos esse prædicavit, sed & Exemplo suo, qua ratione cum errantibus ver-

sandum

sandum sit, nos edocuit. Cum aliquando, ut
 hoc unum adducam, licet per totam vitam divi-
 næ hujus virtutis radios undiquaque sparserit, cum
 inquam aliquando una cum discipulis in vicum
 quendam Samaritanorum pervenisset, atque ut
 cælesti voci vacivas aures darent, sed frustra, mo-
 nuisset, discipulique præpostero Zelo incensi po-
 stulassent, ut igne cælitus demisso pænas de per-
 tinacibus Samaritanis sumeret, respondit: *Nescitis*
cujusmodi spiritus filii sitis vos. Quid autem aliud
Auditores hoc ipso significare voluit optimus noster
 & pacis amantissimus Doctor, quam iram, super-
 biam, vindictæ cupiditatem, insultandi errantibus
 studium, a norma sanctissimæ suæ disciplinæ pe-
 nitus adhorrere, atque lenitate, patientia, & com-
 miferatione opus esse ad cælestem doctrinam ani-
 mis hominum infigendam, latius proferendam,
 atque ab erroribus vindicandam. Discipuli tanti
 Magistri majore luce collustrati, & inusitata Spiritus
 S. gratia superfusi, undiquaque per Imperii
 Romani fines iter facientes cælestem Sapienciam
 cunctos edocuri, modeste, prudenter & amore pleni
 errantes monebant, ad amplectendam sanctissimam
 Christi disciplinam suaviter invitabant, nævosque
 Judæorum, & Gentilium animis tenaciter infixos
 non uno ictu, sed per intervalla eximendos esse
 putabant, litesque in primis nascentis Ecclesiæ
 cætibus ortas prudenti lenitate componendas esse
 censebant. Paulus ipse non uno in loco, plenus
 licet Zeli pro gloria Dei & amplificando regno
 Jesu Christi, Theologus, ait esse oportere non
percussores, non pugnaces, sed moderatos, mansuetos,
u convitiandi libidine alienos, in lenitate adversarios eru-
dientes. Idem vitandos equidem jufferat homines

pravis studiis captos, & disciplinæ cælesti data opera insidias struentes, sed vitandos inquam; non convitiandos, non lædendos, non insectandos, nedum ad necem deposcendos, quod tamen majore jure, siquidem id unquam legibus divinis permitti posset, facere potuisset, cum dono Infallibilitatis, quo nos Theologi omnes caremus, & potestate miraculorum patratorum instructus probe calle-
ret, errantes illius ætatis non sufficientis lucis defectu, aut ingenii quadam imbecillitate, sed superbia, ambitione & voluptatum amore præpediri, quo minus capeffendæ sanctissimæ disciplinæ animos adjicerent. Et profecto hoc ipso Sanctissimus noster Soter ipsiusque discipuli ostenderunt, quo spiritu ducerentur, quamque casta, atque divina sit Religio ab ipsis tradita. Veteres Sapientiæ aut potius insanientis Sapientiæ Consulti, diversitate opinionum inter se distracti cerdonum ritu quasi de palma certarunt, quid altercando, rixando, insectando & convitiando possent, adeo ut rabies hæc a Sapientibus inter ipsos Viris, *Luciano* præsertim, uti merebatur, non solum false fuerit perstricta, sed & vehementissime exagitata: at docendi ratio Christi & Apostolorum nonnisi pacis & amoris studium spirabat. Et certe quisquis naturam indolemque veritatis & errorum attentamente perpendit, facile deprehendet, nihil esse ad veritatem animis hominum insinuandam, errores contra iis eximendos, placido hoc & pacifico studio aptius & accommodatius: veritas alia ratione demonstrari non potest quam argumentis; argumenta autem vim suam atque efficaciam in animos hominum non exerunt, nisi iis ita utaris, ut is, quem verum, idque maximi momenti,
edo-

edocere vis sentiat, te amore ejus tactum esse; te bene ipsi cupere, atque nihil magis in votis habere, quam ut Deo concilietur, veræque & cælestis Sapientiæ uberrimos percipiat fructus. Idem dicendum, si errantem corrigere velis; errans dum errat, recte se sentire atque agere putat; errorem pro veritate deosculatur, ignorantia, præjudicatis opinionibus, auctoritate Majorum, aut pravis studiis abreptus. Quid igitur? num convitiis, insectationibus, vel pœnis fieri posse existimamus, ut placide argumenta nostra expendat? ut in nostram sententiam concedat, & victas det veritati manus? certe non magis credibile est, violentis ejusmodi mediis errantem in viam iri reductum, quam certum urbem munitam syllogismis expugnatum iri. Contra si amice, modeste, & pacifice cum eo agas, spes est, eum, siquidem serena mente ad opinionum suarum fundamenta oculos convertit, erroribus valedicturum, aut si id non fit, non male tamen de nobis sensurum: omnes certe veri rerum æstimatores judicabunt, nos officio nostro ex asse satisfacisse. Neque hoc duntaxat ex ipsius veritatis atque erroris indole sponte enasci palam est, sed & idem omnium temporum & seculorum experientia comprobavit. Quid enim quæso cælestem doctrinam nullis pravis hominum studiis blandientem, primis post excessum Christi & Apostolorum Seculis, adeo Gentilibus commendavit, tantosque in animis eorum stimulos excitavit, ut tanto tamque generoso impetu incitati, exquisitissima tormenta, & mortem ipsam perpeterentur, quid inquam divinam illam Sapientiam, quam Philosophi illius ætatis pro stulta quadam & inepta credulitate habebant, adeo commendavit veri
aman-

amantibus, num cavillationes primorum Christianorum, num proscriptiones, carceres? an vero amica, lacrymis mista, argumentis suffulta, precibus contemperata eorundem piorum hominum Oratio? Quinam magis Reipublicæ ac Ecclesiæ salutem detraxerunt, quam Theologi rixosi, superbi, disputaces? quid tantas, tamque acerbis turbas primis post Imperium *Constantini* annis, & sequenti ætate magis excitavit, quam intempestiva *Orthodoxorum* pariter & *Heterodoxorum* uti vocantur, cum dissidentibus agendi ratio? postquam enim semel pestilens opinio, *Augustini* contra *Donatistas* libellis non parum confirmata, in animos hominum irrepsisset, errantes nimirum quosvis sine discrimine atro carbone non solum esse notandos, sed persequendos, insectandos, & quidquid præposterus Zelus, quicquid ira ac superbia, pessimi Consultores, suadere possent, contra miseros homines esse adhibendum, infinitis malis nullum finem habituris fores apertæ, atque Religionis nomine, quidquid unquam sceleratum atque impium factum & tentatum fuerat, excusatum, innumeri Hypocritæ facti, Religioque ipsa sanctissima Incredulorum cachinnis objecta, atque inter Christianos hydra quædam malorum caput extulit. Possent si vellem integrarum Sectarum, vel Privatorum Exemplo, ex omni ævi historia, sacra præsertim id comprobare, nisi vererem, ne de Eruditione vestra minus præclare sentire viderem: quis enim tandem Eruditorum hæc ignorat? Et quid tandem funestas illas lites inter *Fratres* post tempora Reformationis exortas, & eheu adhucdum durantes aluit, auxit, confirmavitque magis, quam Theologorum quorundam male sanus fervor, in judicando

cando superbia, & alios insectandi studium? quid contra a multis retro annis nuperrimeque, atque utinam tandem non sine successu! spem nobis injecerat pacis alicujus sacræ ineundæ, promovendæ, & tandem ad finem perducendæ, quam vero ad pacem, moderationem, & leves illas controversias componendi studium non sine Providentia Dei incitata ingenia? At audio quosdam dicturos, me verbosum satis esse in hoc pacis studio commendando, dememinisse autem veritatis, cujus studiosissimum esse oporteat Theologum, Zeli que quo armatus esse debeat. At in salvo res est *Auditores*; nihil detrahit pacis studium veritati; licebit, imo oportebit semper Theologum ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ: non postulat hoc studium, ut gravem errorem, levem esse dicamus aut plane excusemus, nedum ut pacis causa gravissimis erroribus patrocinemur: alienum hoc est a sanctissima disciplina, atque a pietate & gravitate Theologi. Hoc unum studium istud pacis deposcit, ut nemini temere insultes; ut errantem consiliis plenis amoris & perspicuis argumentis in viam revoces; ut mala non exaggeres; ut fratri in levibus erranti ignoscas; ut quicquid lenitas, amor & preces efficere possunt, ad lucrandum eum adhibeas. Hæc omnia salva veritate, salva *Orthodoxia* fieri possunt, & debent. Bono etiam sis animo, tu quisquis es, qui te Zelo Dei incensum esse ais ad oppugnandos dissentientes. Si enim Zelus tuus veri nominis Zelus sit, non cæcus impetus, non Zelus pro opinionibus tuis, non Zelus pro auctoritate tua, gloria tua, secta tua, commodis tuis; sed potius Zelus pro gloria Dei, Dei inquam, Zelus non magis errori, quam vitiis inimicus, Zelus amore proximi & veritatis

ritatis unius injectus, Zelus cum prudentia & charitate conjunctus, Zelus qui per omnes animi tui ut ita dicam artus atque sinus sese diffundat, atque vitiis omnibus bellum indicat, Zelus denique purus, castus, Dei ipsius, Christi, & Apostolorum exemplis roboratus, si inquam hic Zelus peccatus tuum implevit, pacis & veritatis studio non solum non obstaculum ponet, sed potius verum atque castum veritatis amorem progenerabit.

V. His tandem virtutibus omnibus accedere vel potius omnium radix esse debet vera *Pietas*, quæ dignitate prima, ultimo loco a nobis ponitur, quoniam ostendere animus est, cæteras omnes, quas enumeravimus virtutes, nisi hac accedente, vanas esse, saltem vero suo ornamento, præcipuoque præsidio destitutas. Antequam autem de necessitate & utilitate hujus virtutis, qua Theologum ornatum esse oportere dixi, agam, paucis, quoniam res ita postulat, quid per *Theologum piuum* intelligam, dicendum est. Nimirum non eum hoc titulo dignum judicamus, qui morosus, tetricus atque caperata fronte est; qui in vultu omnibusque suis actionibus nescio quam austeritatem præ se fert; qui murmura secum semper & rabiosa silentia miscet; qui pietatis supremum gradum esse putat, singulos religionis systematicæ articulos ad digitos posse referre; qui pro minutissimis opinionibus tanquam pro aris atque focis pugnat; qui ad qualemcunque dissensum fratrum, novamque opinionem, tanquam *Hannibal* esset ante portas, maximos suscitatur clamores; qui in rebus indifferentibus, & ad pietatis studium promovendum nihil quicquam facientibus vindicandis

candis tamen , & tuendis fervidissimus est ; qui singulis opinionibus & consuetudinibus Majorum tanquam saxo adhæret ; vitiis gravissimis ignoscit ac palpum obtrudit , in leviter vero dissentientes asperrimus , parata tollit cornua ; aut qui denique Mysticis nescio quibus contemplationibus intentus , Seraphici alicujus Doctoris gloriam quærit , perpetuis Deorum convivii sese interesse jactitat , omnesque qui vel levissimas opiniones , sed *sua sententia* , & quidem *sola* , gravissimas , in dubium revocat quantum in se est ad tristia Tartara mittit : Sed is nostra opinione *pius* dicendus est *Theologus* , qui solidam , accuratam , atque masculam Religionis a Christo & Apostolis traditæ animo infixam habet imaginem ; qui eam solidis argumentis explicare , probare & vindicare potest ; qui gravis , veri rectique amans , candidus atque simplex est ; qui Deum ex animo amat , puroque & casto gloriæ divinæ ardet Zelo ; qui non minus erroribus quam vitiis perpetuum indixit bellum ; qui frequentius cum vitiis suis , quam cum Hæreticis pugnare solet ; qui semota omni hypocrisi , sæpe de rerum omnium vanitate , virtutis præcellentia , futura vita , de emendando depravato Christianismo non secum tantum cogitat , sed & cum cordatis viris , Auditoribus imprimis suis loquitur ; qui sæpissime precibus apud Deum intercedit , ejusque gratiam implorat ; qui omnes vires ad proferendam & latius disseminandam veram virtutem , atque pietatem impendit ; qui ad Sanctissimi Soteris Exemplar , quantum in hac rerum caligine fieri potest , omnia sua instituta & consilia exigit ; qui non tam laborat ut Eruditus & Celebris Doctor , quam vero ut pius & Dei amicus evadat ;
 qui

qui nihil eorum intermittit , quæ ad discipulos suos curæ suæ commissos meliores reddendos facere possunt ; qui denique in omni vita , institutis & actionibus hoc unum agit , atque in eo ad usque ultimum vitæ halitum perdurat , ut Deo & Soteri suo Jesu Christo in vita & morte placere possit. His virtutibus quantum per ingenii humani imbecillitatem licet , si ornatus est Theologus , vere pium eum esse jure contendimus. Non autem necesse esse puto *Auditores* , ut pluribus probem , necessum esse , ut Theologo hæc virtus insit : novimus omnes , neminem Christianorum spem beatæ immortalitatis habere , aut sanctissimæ disciplinæ alumnum esse posse , nisi idem pius sit. Totius Religionis Christianæ indoles atque natura ostendit , Deum hoc unum velle atque agere , ut homines multiplici errorum labyrintho seducti , vitiisque immergi per Jesum Christum in tutam ac plenam veræ felicitatis possessionem vindicentur. Et quid tandem aliud animo Theologi infixum esse debet , quam hoc , nimirum ut veritatem , quæ secundum pietatem est , non tantum validissimis argumentis probet , aliisque commendet ; sed & ut ipsemet vim ejus sentiat ? non est Religio Christiana similis decantatæ Philosophiæ Veterum , in qua pietas & virtus a Sapientia tot laudibus elata penitus erat secreta , & in solvendis spinosis , dubiis atque incertis quæstionibus unice occupata. Religio Christiana , quanta quanta hoc unum curat , ut homines non tam sapientiores , quam vero potissimum meliores reddat ; atque hoc ipsum satis superque ostendit , eam doctrinam non solum tanquam plenam Deo , & tanquam veram sapientiam esse commendandam , sed in animum potissimum

mum alte demittendam; atque adeo ipse Theolo-
 gus, quam vim in animos hominum habeat, pri-
 mus experiundo discere debet. Eruditus equidem
 potest esse Theologus, in omni disciplinarum ge-
 nere versatus, clarus, & magnum literati orbis
 decus; at cælestis Sapientiæ vim capere, sentire,
 immensas divinæ Bonitatis divitias per Christum
 partas gustare, nisi pius sit non potest. Ubi vero
 semel mascula Pietas totum ejus pectus pervasit,
 altissimasque in animo radices egit, fieri aliter non
 potest, quin maximo ardore incitatus sanctissimam
 Religionem aliis sit inculcaturus, omnibusque
 Auditoribus suis incredibilem ejus efficaciam com-
 mendaturus. Cumque brevis & expedita ad Sa-
 pientiam via sit per exempla, difficilis vero per
 præcepta, hoc ipso satis edocetur Theologus no-
 ster, sibi non solum esse incumbendum, ut admi-
 rabilem Religionis præstantiam & incredibilem
 vim ad curandos & tollendos animi morbos Au-
 ditoribus suis ostendat, sed & Ducis adinstar,
 quid tentandum sit, quidque vires a Deo confir-
 matæ valeant, luculenter commonstret. In altis-
 simo quasi loco positus est Theologus, ad eum
 convertit quisque oculos suos. Hæc Pietas me-
 diocri etiam cum doctrina conjuncta plus valet,
 quam vastissima Eruditio. Eruditionem equidem
 homines admirantur, diligentiam atque ingenii acu-
 men laudant; at vere Sapientes, si Pietas desit,
 scopo suo excidisse Theologum, & magno labore
 nil aut parum profecisse adserent: verbo, Theo-
 logus sine Pietate *Histrion* est, qui verbosis strophis
 multum de efficacia Medicinæ spiritualis equidem
 garrit, nunquam autem per vitam vim tantopere
 celebrati Boni sensit. Et unde quæso est Audito-

res, quod tot homines in urbe & agro, centies licet de cælestis disciplinæ excellentia edocti, tam remoti tamen sint a vera pietate? Scio plures hujus mali causas dari posse, quæ plurimum ad hoc conferunt: at ignoscite, quotquot Sacris operamini, atque V. D. Ministri & Theologi vocamini, si dicam, inter præcipuas degeneris Christianismi causas referendos esse ipsorum Docentium malos mores. Num enim credibile est, homines, imprimis ad malum inclinatos & præjudicatis opinionibus de Pietatis natura atque indole imbutos, credituros esse, vera esse, quæ de Pietatis necessitate & efficacia Religionis Christianæ dicuntur, si Doctor equidem publicus pro Cathedra eas virtutes in cælum tollat laudibus, ipsi vero Auditores non solum suspicari, sed vel manibus tandem palpare possunt, eum æque ac cæteram turbam omnibus, aut certo cuidam, eique pestilentissimo, vitio esse immersum? an non potius sic secum cogitabunt: Si seria res esset morum emendatio, si cum salutis dispendio conjuncta vitæ improbitas, si æternum felices futuri essent pii, contra miserrimi impii, atque de hisce omnibus convictus atque persuasus esset Doctor noster, num credibile tandem eum superbiæ, luxuriæ, avaritiæ tantopere fore addictum, vitamque a decretis suis adeo abhorrentem victurum esse?

Novi quidem *Auditores*, homines ita ratiocinantes non culpa vacuos propterea esse, neque a vitæ morumque ratione, quam sequitur V. D. Minister & Theologus, Auditorum salutem suspensam esse; at quin ejusmodi vita occasio sit infinitorum malorum, atque ingens hominum turba, depre-

deprehenſis tot vitiis ſacris operantium ad mala perpetranda valde proclives reddantur, conſenſuros credo, quotquot verum dicere volunt, & poſſunt: ut autem melius innotefcat, quam neceſſarium ſit hoc Pietatis in Theologo ſtudium, cogitandum, cui potiffimum operi Theologo per omnem vitam vacandum ſit. Nimirum non ſolum ſanctiſſima Religionis capita rite explicare, ſolide probare & vindicare, ſed & quantum in ſe eſt, in id omnibus viribus conſulti debet, ut in urbe & agro non ſolum tales conſtituantur Religionis Doctores, qui hæc ipſa ſaluberrima diſciplinæ ſacræ decreta juvenes atque ſenes pariter edocere poſſint, ſed hoc potiffimum, ut iidem pii ſint, Dei amantes, atque caſtiſſimo Dei & gloriæ ejus Zelo incenſi. Si Theologus effecit, ut aliquot Auditorum ſuorum ſint docti, ſi omnes ſyſtematis partes intelligunt, ſi cum diſſidentibus ſcite diſputare poſſunt, ſi ex vario Eruditionis penu ad ſacrarum Literarum interpretationem, vel Antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtrationem aliquid conferre poſſunt, non parum equidem lucratus eſt Theologus noſter; at ſi idem eruditus ejus diſcipulus avarus eſt, ſi ſuperbus, diſputax, aut garulus; ſi egregius formarum ſpectator eſt, aut luxuriæ deditus, ſi parum curat res ad veram pietatem commendandam facientes, ſi eum nunquam tangunt, nunquam inſomnem reddunt tot peccata & errorum monſtra, quibus Orbis Chriſtianus horret, parum certe promovit Theologus noſter. Si vero omni ſua induſtria hoc unum obtinuit, ut Miniſtros aliquos vero pietatis amore incenſos reddere potuerit, felix eſt, & ſatis ſe vixiſſe arbitrari poteſt officiumque Theologi impleſſe, quoniam

labore suo aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cæleste direxerit.

At num credibile denuo est, *Auditores*, Theologum cælestem hanc vim doctrinæ Jesu Christi ita commendaturum, atque omni virium contentione enisurum, ut tales constituat Sacrorum Antistites, si ipsemet amore Dei & pietate omni vacuus est, & nunquam per vitam cælestis hujus disciplinæ vim atque dulcedinem gustavit? verbo, sine Pietate Theologus neque modestus neque pacificus esse potest: Eruditio vero omnis non magis ipsius animo proderit, quam difficiles quorundam Eruditorum nugæ ad veram Sapientiam conferre possunt.

Sed contrahenda sunt Orationis vela, & ad portum citis passibus est festinandum. Audivistis Aud. O. O. *Nobilissimi*, quibus mea opinione Virtutibus ornatum esse oporteat Theologum, quidque ei faciendum sit, siquidem tanto munere cum laude defungi velit. Debuissem longe plura, si per temporis spatium licuisset adjicere, at ejus habenda est ratio. Igitur, quantum ad finem, quem intendi, spectat, sine mora solemnî huic actui finem possem imponere. At duo ante mihi præstanda esse pulchre video, idque pietatem, & Majorum consuetudinem jure postulare persuasus sum. Prius est, ut de Cl. *Antecessoris* mei vita, fatis, atque virtutibus, quibus floruit, breviter aliquid adjiciam; posterius vero, ut *Amplissimis* atque *Venerandis* hujus *Illustr. Gymnasii Proceribus* dignas publice pro collatis in me beneficiis persolvam grates, meque,

meque , quantum verbis consequi licet , porro Benevolentiae eorum commendem.

Quod ad Vitam , fata atque Virtutes *Clarissimi Antecessoris* attinet, missis rethoricationibus, & undiquaque quæsitis elogiis ex prolixiore *βιογραφία* ab ipso pie defuncto olim consignata, ea quæ ad Institutum nostrum pertinent, in summam contraham, atque servato temporis ordine, quantum quæque mihi nosse datum est, narrabo.

Natus est autem *JOH. RODOLPHUS CRAMERUS* nunc pie defunctus An. 1678 die 14 Februarii, *Elcovia*, Patre Viro admodum Reverendo *J. Jacobo Cramero*, *Classis Elcoviensis Camerario*, matre vero *Dorothea Huldrica*: jactis apud Parentem Linguæ Latinæ & Græcæ fundamentis, 1691. Tigurum missus, hospitio & mensa usus Avunculi, Viri *Pl. Reverendissimi J. Jacobi Huldrici, Canonici, & ad ædem Sp. S. Pastoris*: adjutus autem est *Cramerus* noster juvenis in studiis suis promovendis a fratre suo *JACOBO, Viro postea Clarissimo*, sed præmatura morte rebus humanis exempto.

Consilio optimorum Parentum & Amicorum Medicinæ vacare debuerat studiis Noster; at postquam inopina morte Parens 1693 decessisset, filius fratri obtemperaturus totum sese sanctioribus disciplinis tradiderat, atque in iis singulari studio atque animi contentione ita profecerat, itaque sese Reverendis Præsidibus probaverat ut An. 1699. in numerum V. D. Ministrorum fuerit receptus. Eodem vero anno cum fratre doctissimo, ad docendam Theologiam *Herbornam* vocato, ad no-

bile hoc optimarum artium ac disciplinarum Emporium commigravit. Hic per biennium substitit, ab ore fratris pendens singulari cum fructu illius institutione publica & privata usus est, auditis etiam Cl. Viris *Hildebrando*, *Florino*, *Kirchmeyero*, *Dukero* & *Schrammio*. Non leviter autem Nostrum turbaverat peracerba mors Fratris optimi, atque doctissimi, febris hectica in ipso ætatis flore consumti, Tigurique An. 1702 demortui.

Ipse interea, ut cursum studiorum absolveret, atque Fratris olim datis monitis obtemperaret, majoresque in Antiquitatibus hebraicis progressus faceret, relicta *Herborna* Nassoviorum totius Belgii splendidissimam lucem, *Lugdunum Batarorum* contendit, atque ibi familiariter usus est Cl. Viris, *Triglandio*, *Markio*, *Witsio*, optime Nostro ob singularem diligentiam, Fratrisque Eruditionem & commendationem cupientibus. *Triglandius* inprimis Fratris precibus motus effecerat, ut ædibus & institutione Cl. *Surenhusii* Prof. L. Hebraicæ Amstelodamensis uti posset, adhibito etiam ad hæc studia prosequenda *Rabbino*, *Isaaco Polono*, quocum aliquot tractatus Talmudis, adhibitis etiam Commentariis Gemaricis, evolverat. Salutaverat noster Amstelodami frequenter doctissimos Viros, *Stresonem*, *van Leuwen*, *Alphenium*, *Limborchium*, & *Meibomium*.

Postquam autem *Amplissimorum* Gymnasii nostri *Procerum* Benevolentia *Cramerus* noster ad prosequenda studia Philologica eximium nactus fuerat stipendium, hortatus eum est Frater tunc temporis adhuc in vivis, ut de specimine hebraico edendo,

do, atque *Amplissimo Magistratui* nostro ad gratam mentem testandam inscribendo serio cogitaret: Cujus voluntati obsecundaturus noster, adhibitis in consilium Professoribus Lugdunensibus, ad verendas *Constitutiones de Primitivis* seu *Hilcoth Biccuvim*, notisque Philologicis illustrandas animum adjecerat: Quem laborem per modum septem disputationum sub præsidio Cl. Virorum, *Triglandii*, *Markii*, & *Witsii*, additis ad singulas disputationes *ἐπιμετρητοῖς* ex variis disciplinis depromtis, sumtibus *Academiæ Lugduno-Batavæ* edi curavit.

Postquam autem doctissimus Frater; ut dixera-
mus, præcoci nimium fato abreptus fuerat, *Amplissimi & Venerandi* Scholæ nostræ *Proceres* absentem nostrum *Cramerum* in locum defuncti Fratris substituerunt, demandata illi L. Hebraicæ Professoris in Collegio Inferiori, quod Humanitatis vocant, provincia.

Audito hoc læto nuncio *Noster* sine mora circa Junium An. 1702 itineri sese accinxit, salutatisque, qui in itinere occurrebant, Viris Celeberrimis, insigni Eruditionis copia locupletatus, salvus & incolumis ad suos fuit in patriam delatus. Redux oblato *Magnificentissimis Patriæ Patribus* libro in Belgio, ut dixeramur, elaborato, d. 18. Septembris novum munus auspiciatus est Oratione inaugurali habita de *Philologis a Reformatione in Schola Tigurina Claris*.

An. 1703 thori sociam sibi adjunxerat lectissimam fæminam, *Dorotheam Werthmüller*, ex quo conjugio illi aliquot liberi nati, quorum pars ma-

ture decessit, relictis duntaxat in vivis Filia, nupta V. Reverendo GEORGIO HIRZELIO, nunc in Templo Carolino Archidiacono primario Vigilantissimo, Filioque JOANNE JACOBO, in Collegio Humanitatis Professoris Theologiæ Catechetici munere cum laude defungente.

An. 1705. post discessum Cl. Suizeri, Professoris Theologiæ Heidelbergensis, facta, ut fieri solet, stationum mutatione, demandata fuit Cramero nostro Historiæ Sacræ & Profanæ docendi provincia, cui dignitati mox ita volentibus *Utriusque Ordinis Amplissimis Præsidibus* aliud officium adjunxerant, nimirum ut esset *Illustri Senatus Ecclesiastici Collegio ab Actis*, quo officio difficillimis temporibus per 13 annos singulari cum industria defunctus est.

An. sequente 1706 Professionem Linguæ Hebraicæ in Collegio Carolino ornare incepit, substituto in ejus locum H. *Hirzelio*, Linguæ postea *Græcæ Professore Celeberrimo*, ante aliquot annos cælitum choro adscripto. Hoc ipso autem anno ad emendandam & perficiendam H. *Altingii* Historiam Ecclesiasticam animum adjecit, quam etiam, ut & Cl. *Suizeri* Chronologiam ad suam usque ætatem magna cum industria perduxit.

Postquam autem per aliquot annos singulari cum diligentia, nec minore cum successu demandatis sibi officiis vacasset, variisque Collegiis privatis & publicis non solum optimarum Literarum studiosos sibi devinxisset, sed imprimis *Amplissimis*
Præ-

Præsidibus sese commendasset, anno labentis Seculi 17 in Collegium *Reverendorum Canonorum* fuit receptus, præstitaque fideliter opera Venerando *Lavatero*, Theologiæ Professori Præstantissimo, sed animo & corpore tum temporis languenti, An. 1725 tandem, post Clarissimi hujus Viri obitum creatus est Veteris, ut vocant, Testamenti Professor, cui dignitati An. 1731, post obitum Cl. *Holzhalbii*, gravissimum *Venerandi Canonorum Capituli Decani* munus adjectum, & denique mortuo Cl. *Hottin-gero*, Eidem An. 1735 in Professione Theologiæ N. Testamenti successit.

At hi ipsi concatenati labores & honores; hæc ipsa munera atque onera, ut est cum rebus humanis comparatum, non parum animi, potissimum vero corporis, cujus fulturis animus sustinetur, vires attenuarunt atque fregerunt: duo ferme anni sunt, cum externa corporis specie vigorem referente fortis tamen & lætus & alacer esse desineret; ex quo facile erat ad conjiciendum, intus latere, quod mortalitatem celeraret. Haud multo post manifestis indiciis proditum est, præstantissimum Virum non bona uti valetudine, & malo corporis habitu omnia alimenta corrumpi. Ipse sæpenumero inter familiares de valetudine adversa ita querebatur, ut quisque intelligeret, eum quotidie mori, nec pigre & meticulose, sed confirmato animo ultimis appropinquare: testis etiam præter hæc *Meditatio Theologica* in egregia *Pauli II. ad Corinth. V: 1.* verba, ab Auctore in ipso languore conscripta & a nobis edita, cui aliæ insuper ejusdem argumenti erant, si per fata licuisset, addendæ. Sperabant equidem Boni omnes futu-

C 5

rum,

rum, ut hac illave medicina languentis vires refocillarentur; at aliter Sapientissimo omnium rerum Moderatori visum. Posteaquam enim pauculos dies cum invalescente difficultate spirandi, quæ hydropem pectoralem prænuntiabat, colluctatus esset, pridie Eidus Julias placide, nil tale, qui ægroto adstiterant, opinantibus, supremum peregrinationis diem explevit, vix dum LX ætatis annum ingressus. *Fuit, Fuit*, ergo *Cramerus* noster, longiore vita, si quisquam alius, dignissimus, vocatus a summo totius Orbis Rectore ex tenebris ad splendidissimam lucem, ad ærumnarum, curarum concatenatorumque laborum requiem, & cælicolarum choris mistus, delicias a Jesu partas cepit prælibare.

De virtutibus ipsius & Eruditione ut prolixè differam necesse non est. Cum enim Vos omnes testes habeam, quanta cum diligentia, cura atque sollicitudine spartam utramque exornarit; quos labores, quas molestias devoraverit; quot egregios libros scripserit; quanta Eruditione, Pietate, gravitate atque humanitate eluxerit; quam bene de Ecclesia nostra & Gymnasio nostro meritus fuerit; pluribus dicere nil attinet. Deo potius O. M. æternas dicamus grates, quod *Cramerum* Scholæ nostræ bono per plures annos concesserit, Eumque rogemus, ut tales semper nobis concedat Doctores, qui Eruditione, Pietate, morum gravitate cæterisque Bonorum Virorum virtutibus ornati, nobilitatique sint.

Quum autem, *Numine Optimo Maximo* ita cuncta benigne moderante atque disponente, factum sit,
ut

ut post excessum Cl. *Crameri* humeris meis gravissimum Theologiæ Professoris munus imponeretur, ad Vos *Amplissimi, Nobilissimi, Venerandi* utriusque ordinis *Proceres* me converto, *Vobisque* quibus possum verbis pro Benevolentia erga me indignum gratias ago, acturus porro, dum spiritus hos meos rexerit artus. Scio quam grave mihi & sanctum impositum sit munus; pulcre video, quanta diligentia, perspicacia, quam incredibili labore opus sit ad hanc Provinciam rite & digne exornandam & tuendam; sentio denique tenuem saltem umbram earum virtutum, quarum supra mentionem feceram, quæque in *Beato Antecessore* meo eluxerant, in me deprehendi. Interim cum ea sim ætate, qua ad ferendos labores & res quasque secundum pretium suum expendendas aptior nulla sit, labori insuper, meditationi & lectioni quotidianæ adsuetus sim, spem non vanam habere potestis, me quantum ingenio & pertinaci diligentia possum, omnibus viribus connisurum, ut tanto favore me dignum reddam. Eruditionem, ingenii acumen, atque perspicaciam non semel; diligentiam autem, & bonam officio suo defungendi voluntatem nunquam desiderabitis. Quod labore, industria, & ingenio comparare non possum, id ut ardentissimis precibus a Deo obtineam, conitar. Quidquid ad veram, atque salutarem Religionem rite explicandam, inculcandam latiusque proferendam, ad Salutem Patriæ nostræ dulcissimæ promovendam, ad Pietatis studium eheu nostra ætate non parum imminutum commendandum facere potest, non negligam. Cum Auditoribus meis publice & privatim ea tractabo, quæ ad veri nominis Naziræos, & dignos S. Ministerii

nisterii Candidatos efficiendos facere possunt. Jactis solidis veræ Religionis fundamentis, rite inter se, quantum mihi cernere datum est, coagmentatis, mox in Antiquitatem Ecclesiasticam, & primæ nascentis Ecclesiæ tempora excutram; mox utilissima Ethicæ Christianæ præcepta, officia præsertim V. D. Ministrorum explicabo & inculcabo; mox in historiæ Literariæ campum cum Auditoribus meis exspatiabor, atque veræ Eruditionis Theologicæ fontes detegam; mox gravissima S. Literarum capita & testimonia explicabo; mox denique veterum & recentiorum Hæreticorum systemata excutiam, quibusque præsidis & argumentis oppugnari debeant, ostendam. Verbo, quicquid a Doctore veritatis, quæ secundum pietatem est, jure postulari potest, quantum in me cadit & intelligendo consequi possum, strenue exequar. Ita credo vos Benevolentia vestra erga me male parvum, & suffragiorum vestrorum nunquam pœnitebit: sic Deus, cujus favor nullis meis provocatus meritis ab ipsa juventute erga me singularis erat, aderit porro consiliis, conatibus & laboribus meis; sic denique vera Eruditio Theologica, & mascula Pietas caput inter nos efferet & ignorantia cum impietate, suis dejectæ sedibus, frustra frænos mordebunt.

Pergite *Viri Amplissimi, Patriæ Patres Optimi* de vera Eruditione & Pietate bene mereri. Adolescentes amore Literarum & probitatis incensos dignos vestris laudibus & favore vestro judicate; nullius stemmatis homines, sed eruditos, perspicaces, modestos, in lucem protrahite, atque ostendite porro non tam generi quam virtuti potius

tius & bene meritis sua esse reposita præmia, & aditum ad dignitates & honores optimo cuique patere. Sic *Tigurum* nostrum, quod optimarum Artium ac Disciplinarum hactenus officina, & doctissimorum Virorum Seminarium fuerat, porro florebit, & Eruditio, Pietas & Pax ad finem usque Seculorum inter nos dominabuntur. *Deus T. O. M.* porro vestris, *Viri Amplissimi, Nobilissimi*, Consiliis ex alto benedicat, Reipublicæ vestræ multum indies adjiciat, eam in tuto collocet, omnibusque iis bonis, quæ ad Rempublicam aliquam omni ex parte felicem beatamque, quantum in his terris fieri potest, reddendam facere possunt, exornet & accumulat.

Sed ad VOS etiam Oratio mea, seu pectus potius omne meum sese convertit, *Viri Pl. Reverendi, Celeberrimi, Excellentissimi, Tigurinae Scholæ*, atque Ecclesiæ *Lumina*, atque *Columina*. Vestra institutione, auxilio, Benevolentia, votis denique atque punctis vestris factum est, ut non solum Eruditionis vestris sub auspiciis jecerim fundamenta, atque nomen aliquod mihi comparaverim, sed & vobis post Deum Immortalem tribuo, quod post absolutum ex legibus vestris Institutionis publicæ cursum, atque exhibita qualiscunque diligentiae Specimina dignum publico Professoris munere judicaveritis, eoque temporis spatio, variis beneficiis, adfectus vestri in me indignum testibus uberrimis, adfeceritis; Vestræ denique Pietati, Benevolentiae, atque favori tribuo, quod me in Collegium vestrum splendidissimum receperitis, dignumque existimaveritis, cui gravissimum Theologiæ Professoris munus concederetis. Pro quibus

bus omnibus Vobis heic publice grates persolvo, quas possum maximas, Deumque O. M. cum iis referendis impar sim, in vota voco, ut cumulativim ea rependere, consiliis vestris, vestris conatibus, laboribus atque familiis denique vestris benedicere, votaue omnia vestra atque cæpta secundare velit. Simul vero *Vos Collegas Reverendos* atque omni pietate colendos rogo atque obsecro, ut consiliis vestris, & Eruditione atque experientia longo rerum usu confirmata, & late splendente, mihi adesse, & ubi, quod non raro fiet, auxilio vestro opus erit, me juvetis. Olim dum amœnioribus & facilioribus studiis vacabam, dignum judicatis favore vestro, saluberrimaque suppeditatis consilia; sustinete ergo me non sine maxima sollicitudine, atque suspiriis gravissimum munus subeuntem, meque, qui omnia vobis debeo, vestrique cupidissimus sum, porro amicitia vestra dignum habetote. Cumque probe sciatis, *Viri Præsides*, quantum ad docendas & præferendas optimarum artium, sacrarum præsertim, disciplinas, bona fama atque existimatio Docentis conferre possit, Innocentiam quæso meam, sicubi eam impugnari animadverteritis, strenue vindicate. Hoc unum, Deum testor in votis meis est, ut possim ἀληθευειν ἐν ἀγάπῃ. Lites omnes & contentiones cane pejus & angue fugio, nihilque magis opto, quam ut in Museo meo sine strepitu & rixis, inter optimarum Literarum studia & serias meditationes ætatem & vires meas consumam; efficite igitur quæso, ut susurriones quosvis longe ab animis & auribus vestris removeatis: *Zimmermannum* vero, ubi eum officio suo strenue defungi, bonum virum atque Theologum, veritatis, pacis atque
 pieta-

pietatis amantissimum esse videbitis, quam laudem, ut imperiti & pacis inimici homines mihi non eripiant, omnibus viribus connitar, Præsidio vestro tuemini. Ego ut favore vestro dignum me reddam, omnem curam atque cogitationem convertam, neminique, mecum rixandi, nedum insultandi mihi ullam unquam, quantum prudentia & modestia effici potest, occasionem subministrabo.

Te vero, Reverende, ac Clarissime LAVATERE, Collegam posthac in eodem munere obeundo futurum *Conjunctissimum, Te* inquam oro atque rogo, ut me familiari tuo congressu amicitiaque vere intima dignum habeas, auxilioque ac præsidio tuo mihi adlis. Tu equidem non multum ætate, Eruditione vero, vasta lectione, experientia, atque ingenio me longissime superas; Tu omnes Eruditionis Theologicæ sinus perreptasti, atque spatiosum hujus disciplinæ campum emensus es, ego vero tyro sum, & intra metam consisto. Ad Te ergo dubiis in rebus recurram; Te in consilium vocabo; ex Te quid plurimum ad sanctiores disciplinas rite tradendas conferre possit, edoceri cupiam.

Fac ergo *Vir Præstantissime*, ut animi nostri posthac sint conjunctissimi; fac junctis viribus, quæ ad cælestem Sapientiam docendam, & disseminandam, impietatem vero & Incredulitatem ubique eheu caput tollentem eradicandam facere possunt, consulamus. Ostendamus quæso Exemplo nostro, quid Eruditio cum pacis studio in Ecclesia & Republica efficere possit. : facessat a nobis *odium Theologicum*, quod non sine sanctissimæ

mæ disciplinæ damno & contemptu in proverbium abiit; æquo animo, si forte, ut sunt hominum ingenia, in omnibus minutis opinionibus & punctis non conspiremus, mutuum dissensum feramus, atque satis habeamus, quod in Jesu Christi doctrina caste pureque docenda, iisque quæ cum salute conjuncta sunt concordēs simus; occludamus quæso aures malevolis amicitiam nostram & mutuum amorem turbare conantibus, atque generoso impetu incitati ad Regnum Jesu Christi ampliandum cogitationes nostras, studia nostra, & labores jungamus. Deus, fons omnis Eruitionis atque Sapientiæ porro *Tuis*, & cæterorum *Illustris Gymnasii Doctorum* adsit cœptis, eorum laboribus benedicat, florentesque corporis atque animi vires conservet, atque tueatur, seroque tandem vos omnes, qui pro sanctissima Jesu Christi disciplina, optimisque studiis & artibus, vires consumsistis, ad divinum illud animorum concilium migrare jubeat!

Sed ad vos tandem etiam pervenio *Optimarum artium ac disciplinarum alumni*, futuri posthac de novo deliciæ meæ atque gaudium. Quam primum gravissimo muneri Theologiæ Professoris admotus eram, variæ neque leves sollicitudines animum meum invaserunt: obversabatur animo meo studii Theologici difficultas, multiplex disciplinarum, quibus hodie conclusa est, varietas, virium mearum imbecillitas, & temporum eheu quibus vivimus infelicitas, ut alia plura silentio præteream. Hæc animum meum variis curis circumventum turbaverant, atque effecerant, ut non sine metu atque suspiriis humeris meis gravissimum
 onus

onus suscipere. Inter varias autem rationes, quæ quidem ad animum sumendum, strenueque demandatum officium aggrediendum me induxerant, præter alias ea non minima fuit, quod non solum in priore statione muneri meo vacanti adfectum vestrum erga me abunde demonstravistis, attente mea dicta avidisque auribus excepistis, sed in primis quod singulari gaudio adfecti estis, postquam *Ampliss. & Venerand. Præsidium* voluntate splendissimam hanc Provinciam in me delatam fuisse audivistis. Hic certe adfectus in me non vanum credo mihi augurium erat, vos in rebus longe difficilioribus, magisque momentosis, imo cum salute vestra arctissime conjunctis vacivas mihi aures præbituros, & lætissimo animo mecum in patientissimum Eruditionis Theologicæ campum exspatiaturos, atque saluberrimos fructus divinæ hujus disciplinæ incredibili cum desiderio decerpturos. Agite igitur optimarum artium ac disciplinarum studiosi, vos imprimis Deo sacri Naziræi, efficite, ut ego cum gaudio novo huic muneri meo vacare possim. Vobis denuo offero omnia mea studia atque officia: patebit vobis liber ad me aditus, Museum meum & res mea libraria: vobiscum amice, quid ad studia Theologica rite tractanda postuletur, differam: optimos libros, qui ad disciplinam hanc pertinent, enumerabo; publice & privatim ea vobiscum communicabo, de quibus edoctus ipse sum: ubi quid ignoro, cordate fatebor; claris & perspicuis nullas offundam tenebras; ad disciplinas gravissimas reverenter & pio animo tractandas, quibus possum vos indicam argumentis; quo quis diligentior, veritatis & pietatis amantior est, eo mihi acceptus magis erit

atque gratus, ejus saluti, studiis, commodis, promotionibus, quantum in me est, consulam, nullo habito generis, vel nobilioris vel obscurioris respectu: negligentes vero, non diffitebor, & pravis studiis atque voluptatibus deditos, veneri & luxuriæ litantes, pigrosque fucos procul a me arcebo, imo in eos asperrimus ero, neque quantum per me stabit, unquam concedam, ut tales ad pascendas oves Jesu Christi sanguine redemptas mittantur, præsertim postquam omnes pii satis superque edocti sunt, atque gemunt, malam quorundam Pastorum vitam, & turpissimam rerum divinarum ignorantiam, atque in munere sanctissimo obeundo supinam negligentiam, degeneris Christianismi non postremam causam esse.

Per Deum igitur Immortalem & Pastorem ovium verum Jesum Christum futurum olim meum & vestrum, imo totius orbis Judicem, vos oro atque obtestor, ut mature cogitetis, quam grave atque sanctum sit V. D. Ministri munus, quanta ab eo postulentur, qui digne eo defungi velit, quamque sit pœna gravissima, quam subituri sunt negligentes rerum sanctissimarum tractatores; quanta contra illi insit præstantia, dignitas, merces præsertim reposita iis, qui vires a Deo concessas ad proferendum & ampliandum cæleste Jesu Christi Regnum impendunt, ac consumunt.

Deus, qui ipse suprema est Eruditio ac Sapientia, intellectum vestrum rerum divinissimarum & saluberrimarum cognitione imbuat, voluntatemque ad tanta, tamque cælestia Bona avide perpendenda & expetenda suavissime ac efficacissime

cissime trahat, ut a Deo edocti ipsimet tandem credatis, & sentiatis, nihil esse officio vobis injuncto gravius, nihil pulchrius, præstantiusque denique nihil & generi humano utilius.

Ad Te tandem mentem animumque converto
 O. M. Deus omnis boni fons & origo. Tuam opem supplex imploro, Teque venerabundus oro, ut servo tuo adsis Tu Spiritu tuo, & gratia tua. Tu Clementissime Deus, me inde a puero singulari ratione adjuvisti, rexisti, ac protexisti; Tu desiderium aliquod divinæ Sapientiæ mature animo insequisti; Tu inter virtutis & vitiorum confinia non semel positum a malis *ἀρετῆς δια πύγος* retraxisti. Tu dubiis & asperis in rebus causam meam egisti, & solatium anxio attulisti; Tu luctanti cum tenui fortuna & obscuritate, amicos atque fautores præstantissimos conciliaisti; Tu denique me nil tale ominantem indignumque, non sine insigni favoris adfectu, & adorando Regimine ad maximum dignitatis gradum evexisti. Adesto igitur mihi porro gratia tua, atque effice, ut cum timore ac tremore, cum reverentia, simplicitate & candore provinciam mihi oblatam exornem. Rege me, Domine, secundum sanctissimum Beneplacitum tuum; fac sentiam, me nihil, quod alicujus momenti sit, in hoc munere sine Te posse. Effice quæso, ut non tam sollicitus sim, qua ratione doctus & celebris, quam vero ut pius, modestus & pacificus evadam Theologus: fac doctrinam tuam summa cum reverentia tractem, & ad conscientiam attentissime dicta, factaque mea exigam.

Benedic quæso optime Deus laboribus & studiis meis; adauge quæso numerum bonorum Pastorum: fac ut Pietas tandem caput tollat, Regnumque tuum ad ultimos terræ fines, secundum promissiones tuas extendatur. Benedic porro *Amplissimis nostris Patriæ Patribus, Clarissimis, & Venerandis Scholæ Proceribus, Docentibus & discipulis, civibus denique omnibus*: fac denique ut Pietas cum Eruditione, Pax cum Veritatis studio ad finem Seculorum inter nos floreat.

D - I X I.

